



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Nucleus Casuum Conscientiæ Sive Brevis Notitia Eorum
quæ scitu vel necessaria, vel valde vtilia sunt
Confessarijs in primo ingressu ad audiendas Confessiones**

Agostini, Giuseppe

Coloniae Agripp., 1644

De Eucharistia vt est Sacrificiu[m].

urn:nbn:de:hbz:466:1-41767

cramentum, eiusq; necessitatem dicitur infra in 4. præcepto Ecclesiæ, & aliqua in sequentibus.

DE EVCHARISTIA, vt est Sacrificium.

Quid, & in quo consistat.

7 **E**Vcharistia non solum est Sacramentum, sed etiam verum, & propitiatorium Sacrificium, antiquæ legis, & naturæ Sacrificijs figuratum, a Christo Domino institutum, vt semper in Ecclesia perseveret. Perficitur autem in Missa, & offertur soli Deo pro viujs, & defunctis. *Trident. sess. 22. cap. 1. & 2.* Dicitur, incruentum Sacrificium, quia in illo non effunditur verè, & re ipsa sanguis, sicuti effusus est in ara Crucis, sed solum significatur, & exprimitur Sacrificium illud cruentum Crucis, quod semel oblatum est

8 Sacerdos vnicus huius Sacrificij Minister in persona Christi illud conficit

ficat in memoriam Passionis, & Mortis ipsius. Consistit autem essentialiter saltem in consecratione vtriusque speciei. Aliqui etiam addunt probabiliter, oblationem, quæ consequitur ad consecrationem, & sumptionem à Sacerdote, ad quam ordinatur illa panis, & vini oblatio, quæ antecedit consecrationem, de quibus plura Theologi. Certum est omnes has actiones esse necessarias ad perfectionem huius Sacrificij, & non posse relinqui sine graui peccato, sicuti nec cetera: de quibus *Tridentinum sess. 22. cap. 4.* & si quæ ad huius Sacrificium legitimum ritum pertinent; & ab Ecclesia sunt instituta, de quibus infra.

Offerens. Pro quo offertur. Et Effectus.

6 **D**E effectibus Eucharistiæ ita distinguendum est: potest enim considerari vt Sacramentum; & de hoc dicetur infra circa quartum præceptum Ecclesiæ: & potest considerari, vt Sacrificium; de quo hoc loco. Vt sic ergo potest

potest comparari. Primo ad offerentes. Secundo ad illos pro quibus offertur. Et quidem primò per se, & immediatè offerens hoc Sacrificium est Sacerdos in persona Christi; reliqui vero Fideles medio Sacerdote, seu per Sacerdotem; & hoc pacto sicuti omnia alia opera hominis iusti merentur augmentum gratiæ, & sunt satisfactoria, & impetratoria, sic etiam & hoc opus iuxta mensuram deuotionis, & boni motus voluntatis eius, à quo offertur, & ex opere operantis. Difficultas ergo est de effectibus, quos facit in ordine ad illos, pro quibus offertur, & ex opere operato; qui etiam in duplici statu esse possunt; vel enim sunt in gratia, vel in statu peccati mortalis; nam etiam pro peccatoribus offerri potest hoc Sacrificiũ, quemadmodum pro illis Christus in Cruce se obtulit in Sacrificium Patri.

19. Si ergo is pro quo peculiariter offertur sit in peccato mortali, habet vim conferendi illi auxilia gratiæ, maiora, vel minora, & interdum etiam efficacia ad resurgendum à peccato

cato per contritionem, aut Sacramentalem confessionem. Mensura autem horum auxiliorum soli Deo nota est, & sic dicitur Sacrificium propitiatorium ad delenda peccata quoad culpam; si verò sit in gratia habet vim conferendi auxilia modo dicto ad augendam gratiam. Item valet ad pœnas pro peccatis debitas remittendas: unde etiam pro animabus Purgatorij offeritur: & sic dicitur Satisfactorium, Habet etiam vim impetrandi alia beneficia, prout expedit, præsertim salutis animarum; & sic dicitur generali vocabulo Impetratorium; quæ omnia habet præscindendo à sanctitate, aut bonitate Sacerdotis offerentis. Legi potest *Vasquez* tomo 3. in 3. p. disp. 228.

II. Peculiariter, & moraliter offerentes in hoc Sacrificio sunt illi, qui illud procurant, petunt, dant elemosynam pro illo, qui assistunt Sacro, & qui inserviunt; ij verò, pro quibus peculiariter, & in particulari offerri potest, sunt ipsemet Sacerdos, omnes fideles baptizati, non excommunicati maiori excommunicatione (licet pro his

his possit priuatim orare Sacerdos in memento, vt resipiscant.) Item catechumeni, infantes, amentes, enegumeni, & demum infideles, licet non debeant in particulari publicè hi nominari: vltimò pro animabus Purgatorij, Pro omnibus autem his offertur iuxta vniuscuiusque capacitatem: vndè pro animabus Purgatorij offertur, vt Satisfactorium, pro infantibus baptizatis, vt Impetratorium, & eodem modo pro infidelibus: pro multis verò alijs etiam vt Expiatorium. Potest etiam pro Beatis offerri, vt Sacrificium gratiarum actionis, & Honorarium: nullo verò modo pro damnatis, Legite *Filliuc. Tract. 5. cap. 2. Coninch. quest. 83. art. 1. dub. 9.*

12 Non potest à Sacerdote suspendi fructus huius Sacrificij, ita vt hodie celebretur Missa, & applicatio differatur determinanda in futurum tempus: quia hoc Sacrificium habet vim, & efficaciam quando fit. *Filliuc. ex Suario, & alijs loco cit. cap. 3. n. 78.*

13 Fructus etiam huius Sacrificij, vt Satisfactorium est, de facto est finitus: vndè

vndè si offeratur pro pluribus minuitur
in singulis. Quare non potest Sacerdos,
qui habuit eleemosynam ad faciendum
Sacrum pro vna anima purgatorij v.g.
applicare idè Sacrificium pro pluribus:
sic enim iniustè defraudaret animam il-
lam parte fructus, & teneretur ad resti-
tutionem pro parte. Idem *Filliuc. n. 90.*

Quoties, & quando celebrandum.

14 **S**acerdos iuxta tutiorem, & rece-
ptam sententiam debet, ad minus
quater, vel ter in anno celebrare sub
mortali: præsertim in solemnioribus
diebus, nisi aliqua rationabili causa
Prudentis arbitrio impediatur. Pote-
st tamen quotidie si velit, celebrare, & sic
rectè dispositus. Feria sexta maioris
hebdomadæ non potest. Feria quinta
priuatim potest, sed consultius est com-
muniter non fieri vbi consuetudo est, vt
vnus celebret, & alij communiceat: &
multo magis id seruandum est Sabbato
Sancto: licet priuatim aliqua ex causa
post pulsam campanarum ab aliquo ce-
lebrari possit. Semel in die tantum ordi-
nariè

C

nariè

nariè celebrari potest, excepto die Natiuitatis Domini, in quo ter celebrari potest, & ante auroram post mediam noctem: in alijs verò diebus ordinariè ab aurora, id est vna, & dimidia hora circiter ante ortum Solis vsque ad Meridiem circiter, seclusis priuilegijs. Quid autem fieri possit circa hæc in casibus grauis necessitatis, qui tamen vix, vel rarò apud nos contingunt; legite *Filliuc. loc. cit. cap. 4.*

Locus.

Locus, in quo celebrari potest iure communi est Templum, seu Ecclesia benedicta, fundata saltem auctoritate Episcopali: at verò ex priuilegio, & dispensatione Papæ licet etiam in Oratorijs, vel sacellis priuatis, quamuis non benedictis: & in casu grauis necessitatis in quouis loco decente terræ ex licentia Episcopi, in mari autem solius Papæ. In Ecclesia interdicta, vel violata siue per iniustam sanguinis effusionem, siue publicam humani seminis, & illicitam effusionem, siue in qua
 excom-

excommunicatus non toleratus, aut infidelis maneat sepultus; non licet celebrare antequam purificetur: quòd si violatio contingat dum Sacerdos celebrat; si sit post inceptum canonem, absoluat Sacrum: si ante, cesset à celebratione. Lege *Coninck* q. 83. artic. 3. *sub. 1.*

16. Missa celebrari debet super altare, cui, si non sit ipsum totum consecratum, debet superponi aliud altare, quòd dicitur, paruum, consecratum, lapideum, super quòd immediatè sacrificium fiat, quòd est necessarium sub mortali. Debet altare esse triplici, vel saltem duplici mappa, seu linteo coopertum, cum duplici ad minus candelacerea accensa, cum Cruce, & Missali, in quò saltem sit integer Canon, qui incipit ab illis verbis: Te igitur, &c. vsque ad summptionem Sacramenti. In casibus verò grauis necessitatis, præciso scandalo, aut contemptu, aut graui aliquo inconueniente, posset celebrari cum vna mappa, vno lumine, etiam ex oleo sine Cruce, & Missali, si Sacerdos memoria teneat, quæ

necessaria sunt: sed hæ necessitates non sunt facilè admittendæ, maximè apud nostras regiones.

Vasa, & vestes.

17 **R**equiritur ad hoc Sacrificiũ Calix, & Patena ex auro, argento, vel stanno, saltem quoad illam partem, quæ tangit immediatè species consecratas, & debent etiam esse consecrata ab Episcopo. Requiritur etiam Corporale, & Palla ex lino consecrata item ab Episcopo: Pixis verò, ubi asseruatur Sanctissimum Sacramentum; non est necesse ut sit consecrata, sed sufficit ad summum si sit benedicta. Requiruntur præterea sacræ vestes benedictæ, nempe Amictus, Alba, Cingulum, Manipulus, Stola, & Patena; prima duo debent esse lineæ, reliqua possunt esse Lanea, vel serica: atque hæc omnia requiruntur sub mortali: licet in casu grauis necessitatis possit aliquid ex minoribus relinquere, vt cingulum, manipulus, &c. Requiritur præterea ad minimum vnus minister, qui Sacerdoti inseruiat, nisi in casu ma-

gnæ

gnæ necessitatis, *Suar. disp. 87. sec. 1. Coninch loc. cit. dub. 3.*

Rubrica seruanda.

18 SACERDOS celebrans debet seruare Rubricas, & Riturum Missalis : & quidem in vniuersum sub mortali : atq; adeo non potest vel in nullo, vel magna ex parte se illi non conformare, aut in ijs, quæ sunt de substantia Sacrificij, iuxta prædicta: poterit tamen in multis excusari paruitate materiæ : vt si omitteret nomen alicuius Sancti in Canone ex inaduertentia, aut aliquali negligentia, vel tempore Paschalia, quæ interponuntur propria in, Communicâtes, aut, Hanc igitur oblationem, &c. aut omittat commemorationem alicuius Sancti, aut Credo, vel Gloria, & quid simile, *Filiuc. loco citato cap. 5. num. 155.* Item potest ex aliqua causa priuatim dicere Missam alterius diei, quàm in Missali præscribatur. *Idem n. 145.* Non tamen debet addere nouas preces ex sua deuotione, aut nouas ceremonias. Debet etiam ex eodem Missali in promptu habere quo

C 3 modo

modo suppleri debeant defectus occurrentes siue ante, siue post consecrationem. Hæc, & alia, quæ pertinent, ut rectè suo munere fungatur Sacerdos; legere potest apud Auctores citatos & D. Tho. 3. p. q. 83. art. 5. c. 6.

DE SACRAMENTO Pœnitentiæ.

Notitia huius Sacramenti præcipuè necessaria est Confessarijs, acuti frequens eius usus valde etiam necessarius est lapsis post Baptismum, cum sit medium necessarium ad remissionem mortalium: quare valde expedit, ut Confessarij familiarem habeant, & promptâ Doctrinam ad vtilem talis Sacramenti administrationem, & ut iuuare possint pœnitentes in re tam necessaria ad totius vitæ directionem.

2. Pœnitentia est nomen Virtutis, & nomen Sacramenti. Primo modo Pœnitentia Christiana est Virtus, per quam dolemus de peccatis commissis. quæ genus sunt offensa Dei: dolemus, inquam,